



1.  
1. b  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
96  
90  
10.  
11.



1697.

1<sup>a</sup> Berger

1. <sup>a, b</sup> Hornius, Kasp. Heinr.: De jure praedialium seu praecedentiae.
2. <sup>a, b</sup> Hornius, Kasp. Heinr.: De capitulatione Caesarea.
3. Hornius, Kasp. Heinr.: De argumentis juris  $\pi$   $\rho$   $\sigma$   $\delta$   $\epsilon$   $\zeta$ .
4. Kirchmaier, Georg Wilh.: De Witteberga.
5. Loescher, Kasp.: De gloriatione Paulina.
6. Mizlerus, H. Steph. Andrea: Distinctionem clerici et laici... explicabit.
7. Minckwitz, Luth. Sigismundus, A.: De paragis.
8. Ritronsee, Christianus: De consiliariis.
- 9<sup>a</sup> Schwarzfleischer, Konr. Samuel: Fes Augusti in Italiam publice edisseret.
- 9<sup>b</sup> Schwarzfleischer, Konr. Samuel: Recht des Römischen Königs auff Italien.
- 9<sup>c</sup> Schwarzfleischer - Loescher: De actionibus arbitrariis.
10. Straus, Godofredus:
11. Inerus, Godofredus: Disputatio inaug. ad l. Congrua.
4. C. De locatione praediorum civilium et fiscalium.

sive Templorum, sive rei privatae, vel Dominicane.

1698.

1. Berger, Joh. Henricus: Memoriale tripartitum impe-  
rii Romano-Germanici status, juris, judicii, per-  
indicem.
2. Berger, Joh. Wilhelm: De Libanio disputatio altera.
3. <sup>a</sup> Berger, Joh. Wilhelm: De Libanio disputatio III
- 3<sup>b</sup> <sup>Deutscher</sup> Kirchmair, Georg Karper: De maiestate juribusque  
4. <sup>berbae</sup> <sup>Loescher</sup> Karper: De Christo gloriose in coelos  
5. <sup>ascendente</sup> <sup>Loescher</sup> Karper: ... Dissertatio theologica. —  
6. <sup>Loescher</sup> Karper: ... Dissertatio theologica. —  
consensum orthodoxum in loco de Christo asserens.
7. Schurz fleischius, Konr. Samuel: Historia veteris regni  
populi que Burgundionum.
8. Strauss, Gudupretus: De actionibus

1699

- 1<sup>a</sup> = Berger, Jo. Henricus: De fide vasallitica. 2 Inamp
- 1<sup>c</sup> Dassovius-Fronmüller

<sup>a, b</sup>  
2. Hornius, Korp. Hein: De causa petendi in libello.

3<sup>a, b</sup> = Hornius, Korp. Heur: De hypotheca legali in fodiis  
et partibus metallicis.

4. Hornius, Korp. Heur: De libertate Germanorum exteris  
militandi

5. Hornius, Korp. Hein: Selectissima ex utroque jure  
Thematata . . . censurata . . . submissa.

6. Loescher, Christia Wilhelm: De distinctione juris naturalae  
et positivae.

6<sup>b</sup> Loescher, F. K.

7. Neumann, Jo. Georg: De perfectissimis regentis attrib.  
tuto.

8. Strauss, Gotthardus, Decem ordinis juridici: Lecturis sala-  
tem dicit. (ad disputationem Joh. Fried. Hoepneri invi-  
tato)

9. Strauss, Gotthardus, Decem ordinis juridici: Lecturis  
salatem dicit. (ad disputationem Christiani Heinrichi  
Schubarti invitato)

10. Strauss, Gotthardus: De transmutatione praesae dictatae  
in alteram

11. Struvs, Godofredus : De actionibus ex facto alterius.
12. Inuus, Godofredus : - Fura fidei, ab hujus adventu  
observanda.
13. Wernus Dorsius, Gottlieb : De gentiliis sabbatho.
14. Zerbach, Christoph Henr. : An sacrificia sint  
religionis naturalis ?



IN NOMINE JESU  
ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΥ!

DECANUS

THEOLOGICÆ FACULTATIS,  
IN ACADEMIA WITTEBERGENSI,

D. JOHANN. *Deutschmann*/

PROFESSOR PRIMARIUS, THEOLOGUS  
SENIOR, ACAD. TEMPLI PRÆPOSITUS, ET  
ALUMN. EPHORUS,

HYPOSTATICUM  
DE TATS

TEMPLUM,

*EX COLOSS. II. 9.*

IN HOMINE CHRISTO,  
PIIS MEDITATIONIBUS  
EXHIBENS,

OMNES ET SINGULOS  
ACADEMIÆ PATRES, HOSPITES,  
ATQVE CIVES,

AD ORATIONEM SOLENNEM,  
DIE XXX. SEPTEMBRIS

HORA IX. MATUTINA,  
IN AUDITORIO MAJORI,  
SOLEMNITER INVITAT!

IN NOMINE JESU ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΥ !



*Utrum, imo gemmeum, & Entbeum est Aposto-  
li Gentium Oraculum, Col. II, 9. Εἰ αὐτῷ (Χε-  
σῶ) κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σω-  
ματικῶς. Vulgat. In ipso inhabitat omnis ple-  
nitude Divinitatis corporaliter, tanquam in  
proprio Templo, sicut Athanasius cum aliis Ecclesie Doctori-  
bus, illud explicarunt. Magnum est alias Templorum fasti-  
gium, & aestivium, Divinis illa Cultibus destinantur, ac mi-  
ris modis ab omnibus Gentibus, etiam Idololatricis, & à  
Veritatis notitia prorsus alienis, ex naturæ quodam ductu  
celebrantur, licet Deus verus propriè nullatenus in Tem-  
plis habitet, sicut idem Paulus in Athenensium Academia  
suos Auditores informavit, Act. XVII, 24. cum Naturalis  
Theologia Professionem inter Philosophos, & Naturæ secta-  
tores, susciperet. Deus, inquit, qui fecit mundum, & o-  
mnia, quæ in eo sunt; hic Cæli, & Terra, cum sit Dominus, non  
in manu factis templis habitat, nec manibus humanis co-  
litur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & in-  
spirationem, & omnia. Deus certe propter infinitam su-  
am eminentiam, & immensam gloriam, proprie necessest, nec  
esse potest in Templis, quia neque Templum, neque terra,  
neque cæli cælorum, Eum capere possunt, I. Reg. II, II. Par.  
VI, 18. sed propter admirandam gratiam, & venerandam  
Φιλαθεωμίαν se peculiariter in Templis manifestavit, &  
ad sui cultum Templum consecravit. Prolixius illud è  
sacrarum literarum pandectis vel illustrari, vel confirma-  
ri posset: sed hæc ab instituto nostro remotiora vi-  
dentur. Nos enim modo sanctas delicias quærimus in  
Eo, cujus delicia sunt, esse cum filiis hominum, Prov. II, 31.  
qui dicitur, & est Filius DEI, Filius Hominis, verus Θε-  
ανθρωπος*

αιδεων. Hujus Tempia sunt prorsus admirabilia, sed omnino venerabilia, numero satis multa, precio satis magna, aestimio summo satis preciosa. Nos aliis missis tergeminum saltem *ἱερον θεων πρ* notabimus, & commendabimus, Templum. Templum enim Messiae competit Externum, & Ecclesiasticum, internum, & mysticum, aeternum & hypostaticum; hinc non incongrue dicitur illud corporale, istud spirituale, hoc personale; illud generale, piis & impiis commune, istud fidelibus peculiare, hoc Christo singulare; illud Architectonicum suo modo, sed istud mysticum, hoc hypostaticum certo respectu, dum ipsamet Humana Natura Christi cum Divina, post incarnationem, per unionem, & conjunctionem personalem, tantum unam constituit Hypostasin. Plura neququam accumulare debemus, ne limites Programmatum transgrediamur. Templum Ecclesiasticum nullatenus primis statim temporibus extitit inter Patriarchas, & Israelitas, sed David, magnus Israelitarum Rex, primum de Templo Jehovae, propter cultum, exstruendo, cum Nabane consilium est ingressus, ejusque suffragium repente consecutus est: Verum Dominus idipsum approbare recusavit, sed ad alium Oeconomum, vel Architectum Principalem exstructionem Templi reservavit, ut neququam Vir sanguinis, qualis David erat, sed Pacis, qualis Salomon, & nomine, & omine, futurus, Domino Messiae Templum aedificaret II. Sam. VII. Et sub provida Dei cura maximis sumtibus hoc Templum sub regimide Salomonis est exstructum, ad cujus Structuram innumera bilis fere tum auri, tum argenti copia, cum aliis preciosis, a Davide collecta fuit, sicut prolixè describitur, I. Paral. XXVIII. & XXIX. Tanti quoque fuit artificii, tantaeque pariter elegantiae, ut inter maxima mundi miracula sit jure numeratum sit, vel iis



prælatum: ipse Spiritus S. videatur 1. Reg. Cap. V. & seq. 2.  
Paral. Cap. II. & seqq. Et hoc Templum in Scriptura tum  
V. tum Nov. Test. maxime celebratur, cultibus divinis desti-  
natur, ipsique Messie passi n appropriatur. Unum saltem  
locum adducimus ex Mal. III. 1. Ubi sibi metipso Messias  
Templum hoc appropriavit: Ecce ego mitto Angelum me-  
um, & preparabit viam ante Faciem meam. Et statim  
veniet ad Templum suum Dominator, quem vos queritis, &  
Angelus Testamenti, quem vos desideratis: Ecce venit Domi-  
nus exercituum. Et hac de causa passim Messias dicitur  
ναὶ ἐγὼ χὴν ὁ ἐρχόμενος & Matth. XI. 3. Benedictus qui venit in  
Nomine Domini. Matth. XXI. 9. & Cap. XXIII. 39. qui, ceu  
Desideratus cunctis gentibus, venire, Domumq. suam omni  
gloria implere volebat. Hgg. II. 8. sicut addit vers. 10. Ipse  
per Prophetam: Magna erit gloria domus istius n. visisime  
plus quam prima, dicit Dominus exercituum, & in loco isto,  
dabo pacem, dicit Dominus exercituum. Alterum Templum  
Messie dicitur mysticum, & Spirituale, quod sunt corda fide-  
lium, anime piorum, seu Filii Dei Spirituales. Nescitis, in-  
quit Paulus: 1. Cor. III. 16. quia Templum D i vos estis, &  
Spiritus Dei habitat in vobis v. 17. Templum Dei sanctum  
est, quod estis vos: Cap. VI. 19. dicitur idem de Corpore, vel  
membris Sanctorum: An nescitis, quoniam membra ve-  
stra Templum sunt (græcè, quod corpus vestrum sit Templum)  
Spiritus S. qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non e-  
stis vestri: Ubi vero Spiritus Christi, ibi Christus ipse, vel  
Pater, & tota Sacro-Sancta Trinitas Job. XIV. 23. quando  
Christus ipse docet: Si quis me diligit, sermonem meum ser-  
vabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, &  
mansionem apud eum faciemus. Sic Mysticum Patris Tem-  
plum est Christi Templum; Christi templum est Spiritus S.  
Tem-

Templum, & Patris, Filii, & Spiritus S. Templum est totius  
SS Trinitatis Templum. Sed totius Trinitatis Templum in Mes-  
sa, vel Semine Mulieris Gen. III. 15. fundatum ubi Jehova Elobim  
Pater, in Paradiso deambulans, tanquam Pater Cura, Planta-  
tor Cap. II. 8. & Provisor v. 15. horti Paradisi, necessariam  
visitationem instituit; Jehova חַיָּה, Vox, & Verbum resonans,  
atque predicans, miseris Peccatoribus, in peccatum prola-  
psis, & Spiritus S. ceu Spiritus Diei, vel Lucis, Corda prepa-  
rans, & illuminans, tanquam Deus Trinus, per restauratio-  
nem humani generis, ad homines venit, & per verbum Eu-  
angelii, quod est Spirituale Dei vehiculum, Corda Peniten-  
tium intrare, per fidem regenerare, & constanter, ceu  
Templum suum mysticum, inhabitare constituit: quicquid  
enim de primis fidelibus, Protoplastis, hic legitur, de cunctis  
aliis fidelibus pariter intelligendum. Hinc Eva, prima Viventi-  
um, & Credentium Mater, illustrem de hoc Templo Con-  
fessionem edebat, cum exultatione dicens: Possedi Virum  
Jehovam: Vir Jehova Messias est, Θεός & ἄνθρωπος, Deus & Ho-  
mo, qui cum Patre, & Spiritu S. tanquam Jehova Elobim,  
est Inhabitor: Templum Inhabitationis, est fidelis Eva,  
quæ nondum in carne, vel in Praesepio, Jesum videbat, ne-  
que cum Simeone brachiis, vel ulnis Luc. II. Eum excipiebat v.  
28. sed potius in corde per fidem veram Eum inhabi-  
tantem credebat, & sentiebat. Fides enim genuinæ inhabita-  
tionis, & possessionis mystica medium, vel Organum est. Ubi vera  
fides non est, ibi nec in anima Messias habitat. Ubi Messias  
non datur inhabitatio, ibi neq; Messie datur possessio. Templum  
Messie sic Hypostaticum, & Personale, vocatur: de quo  
pulcherrimum Oraculum Paulinum Coloss. II. 9. intelli-  
gendum: In ipso tota Deitatis plenitudo habitat corpora-  
liter. In hoc Oraculo omnis generis mystica divitia, vel deli-



cia conspiciuntur! & non difficile foret, totam Christologiam  
luculenter ex eodem proponere, vel exponere; nec dees-  
sent varia mysteriorum Compendia, si prolixam commen-  
tationem, vel diductionem, tractatio præsens admitte-  
ret: hac vice saltem, juxta Causarum ordinem, brevem  
aliquam meditationem adornabimus, ut eandem ad My-  
sticum Templum, & ejus inhabitationem referamus. Effi-  
ciens Causa personalis inhabitationis, est tota Deitatis ple-  
nitude, quæ certe neutiquam passive, sed active, considera-  
ri debet, ac proinde Cause potissimum Efficientis rati-  
onem infert, quia Θεότης veram Deitatem importat, nec  
alium, quam principii respectum admittit. *Emphatice;*  
vero loquitur Apostolus, dum τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος intro-  
ducit, & ad ad quidditatem, qualitatem, & quantitatem  
Objecti respicit. *Quidditas* voce Θεότητος indicatur, quia  
Deitas est Dei genuinum abstractum; *Abstractum* vero  
designat essentiam. *Qualitas* voce plenitudinis designatur,  
quia non leviter aliquid Deitatis Templi saltem afficit, aut ali-  
quid modo respicit, sed potius omni sua plenitudine Templi  
hypostaticum incolit. Deniq; *Quantitas* τῆ παντός nomine  
insinuatur, quia πᾶν τὸ πλήρωμα simul ὅλου τὸ πλήρωμα τῆς  
Θεότητος! λογος ipse cū omni sua energia, cum omni sua po-  
tentia, hoc personale Templi inhabitat. Hic *Hospes eminentis-*  
*simus*, quo nullus major, aut eminentior dari potest; *Ho-*  
*spes divinissimus*, cum sit verus Deus, Secunda Deitatis per-  
sona: *Hospes singularissimus*, dum est exemplum sine ex-  
emplo, neque simile quid fuit unquam à prima rerum Cre-  
atione, nec simile quid nunc existit, nec simile dicitur un-  
quam futurum. *Causa materialis* est ipsum Templum,  
quod Deitas mirabiliter inhabitare perhibetur, cum aliud  
sit *Habitaculum*, aliud *inhabitans*; *Deus λογος* est *inhabitans*,  
Habi

Habitaculum vero est Caro, vel Humana Natura Christi. Et hæc denominatio Templi, quoad Humanitatem Christi, non est humana cujusdam inventionis, aut speculationis, nec Ecclesiastica Traditionis, sed verè divina revelationis, quod mysterium ipse noster Salvator Job. II. 19. proposuit, dum Judæis dixit: Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: nec aliter d. I. Spiritus S. id ipsum exposuit vers. 21. Ille dicebat de Templo Corporis sui: ubi simul Evangelista Iubjungit: Cum ergo resurrexisset à mortuis recordati sunt Discipuli ejus, quia hoc dicebat eis, & crediderunt Scripturis, & Sermoni, quem dixit Jesus: Sic & omnes Christiani firma fide idem credere necessarium habent, quod humana natura sit Templum Filii Dei. Causa Formalis potissimum per verbum κατοικεῖ notatur, & indicatur. Hoc verbum sine difficultate legitur, dicitur, & auditur, sed nulla vel subtilitate, vel mentis acumine percipitur, & intelligitur; simpliciter igitur excipitur, & creditur, quia Mysterium Mysteriorum est! πρώτως tamen per mysterium Unionis personalis Inhabitatio talis, juxta Scripturam, facta dicitur, quæ vere τὸ πᾶν est in hoc mirabilis inhabitationis arcano, cum sine hac unione hypostatica neque facta sit inhabitatio, nec fieri potuerit, nec sine eadem personalis inhabitatio permaneret, unde Veteres, cum primis juxta Concilii Chalcedonensis Decretum, unionis hypostaticæ Mysteriū in suis proprietatibus illustrarunt, nimirū quod Unio, vel Inhabitatio personalis facta sit ἀσυγχύτως, inconfuse, ἀτρέπτως, inconvertibiliter, ἀδιαρέτως, indivisibiliter, ἀαλλοιώτως, immutabiliter, ἀχωρίτως, inseparabiliter, ἀδιάλυτως indissolubiliter, ἀδιασπᾶτως indistracte, vel indivulse, ἀδιαστάτως, indistanter &c. quæ propria pariter audimus, sed minime vel planius, vel plenius  
cogno-

*cognoscimus, aut cognoscere possumus. Denique Causam Finalem* suo modo *Ῥαξ σωματικῶς* respicit, neq; tamen *causales* respectus *alios* excludit, sed potius propter *magnam* *Emphasin* eosdem includit, cum primis autem tam *Subiectum* ex illo *Jo. II, 21.* quam *finalem communicationē* respicit, & praesertim *Idiomatum communicationem*, siquidem haec sine *difficultate* propter *maximam* vocabuli, *σωματικῶς*, *emphasin* in *relatione* ad caetera *Textus Verba*, tum *demonstrari*, tum *explicari*, tum *illustrari* posset; & quidē partim *Communicatio Personae* ἢ *λογῆς* secundum *humanam naturam*, partim *Communicatio duarum naturarum*, partim *Communicatio proprietatum*, quoad *omne genus*, quod *tergeminum* est, nimirum *κοινωνία τῶν ιδιωμάτων*, in *Communicatioe proprietatum essentialium*, respectu totius *personae*, juxta sibi propriam *essentiam*, partim *κοινωνίαν τῶν ὑποτελεσμάτων*, quoad *Officialium operum appropriationem*, secundū *utramq; naturam*, partim *κοινωνία τῶν ἀξιωμάτων*, quoad *Dona Majestatis, & gloriae*, quod *λόγος humane suae naturae*, sed in *persona* ἢ *λογῆς*, *Majestatis omnes Dotes* appropriavit. Verū pluribus hoc *Oraculū emphaticū*, vereq; *classicum*, minime persequimur, sed potius *praesens* *Nostrū institutū* prosequimur, Plurib; etenim id *more suo*, hoc est, *optimo*, declarabit, **MAXIME REVERENDUS, AMPLISSIMUS, ET EXCELLENTISSIMUS, DOMINUS M. GEORGIUS CHRISTIANUS EILMAR, MÜLHUSA THURINGUS, PASTOR ECCLESIAE HELDRUNGENSIS MERITISSIMUS, VICINARUMQUE SUPERINTENDENS VIGILANTISSIMUS, S. S. THEOLOGIAE CANDIDA-**



DISCIPULUS DIGNISSIMUS, FAUTOR,  
AMICUS, ET IN CHRISTO FRATER  
MEUS HONORATISSIMUS, *cujus gra-*  
*tia presentem Scripturam publicare debuimus. Hic cum*  
*gravissimis de causis, ex Superiorum Consilio, secum*  
*constituisset, Summos in Theologia Honores adire, & honesto*  
*desiderio Doctoralem Titulum, in Cathedra B. Lutheri, mo-*  
*deste publicis Ceremoniis ambire, superioribus Diebus No-*  
*men suum in Collegio nostro Theologico professus est, ut ad*  
*consueta Licentiarum Specimina, potestatem consequere-*  
*tur. Honestum petitum, Ecclesiae, fructuosum, Nos diffi-*  
*ciles habere non potuit. Illustris igitur Apocismus Apo-*  
*stolicus laudatus ad Lectiones Cursorias eidem destinatus,*  
*quem pro data sibi caelitus gratia, Diebus sequentibus enu-*  
*cleabit. Nos modo, juxta iudabile Majorum institutum, brevi*  
*recitatione, notabile vitae Curriculum Ipsius, ad imitationem*  
*Laudabilem, paucis adscribemus. Primam in hoc mundo Lu-*  
*cem vidit Noster, Anno MDC LXV. ipso festo Epiphaniae, qui sex-*  
*tus Januarii dies fuit, bono satis omine, quod in Lumine Gentium*  
*Magorum, divinitus illuminatorum, aliquando Lumine Eccl. futurum*  
*esset. Patrem habuit MAXIME REVERENDUM, AMPLIS-*  
*SIMUM, & CLARISSIMUM VIRUM, DN. M. GEOR-*  
*GIUM GODOFREDUM EILMARUM, ECCLESIAE*  
*PATRIAE per unum, & viginti annos bene meritum, qui*  
*hunc bonae Indolis Filium, ex NOBILISSIMA MATRONA,*  
*DOROTHEA ELISABETHA, AMPLISSIMI, & CON-*  
*SULTISSIMI VIRI, DN. GEORGII ADAMI STRE-*  
*CKERI, MERITISSIMI CONSULIS ibidem Filia, genuit, & à*  
*DEO donatum Filium, ad imitationem sui Parentis B. DN.*  
B CHRI-

B

CHRI-

CHRISTIANI EILMARI, per XLI. Anuos *Archi-Diaconi*  
*Antecessoris, studiis, & cum primis Theologicis, consecravit. Et,*  
*dū post generationē, prima dicitur educationis Cura, Parentes*  
*Nostri non vulgarem adhibuerunt Industriam ut hic Filius*  
*privatis operis in pietatis, & Honestatis, Studiis, quoad fieri*  
*posset, optime coleretur. Post Pueritiæ Tirocinia Scholis*  
*Publicis traditus, ut in Latinis, Grecis, Hebraicis, & aliis*  
*linguis, quoad Philologiam, Logicis, Metaphysicis, Oratoriis,*  
*prima Rudimenta perciperet & SS. Theologiæ fundamenta*  
*poneret, quem Scopum etiam à B. DN. SCRIBONIO, Dn.*  
*TOBIA EILMARO, MELBACHIO KNORRIO, &c.*  
*Viris de Gymn. Patrio satis bene Meritis, ex voto consecutus.*  
*Postmodū egregio Testim. dimissus, ante suū ex Patria disces-*  
*sum, Valedictoriā, de Statu hominis in Natura destituta, coram*  
*Patronis & Præceptoribus, non absque applausu, habuit, & ad*  
*Illustre Leucopetrense Gymnasium abiit, ubi Studia, bene*  
*cæpta, assidua Cultura feliciter exornavit, & Celeberrimos*  
*ibidem Professores constanter audivit, Studium Theologicum*  
*ex MAXIME REVERENDI, & EXCELLENTISSIMI, DN.*  
*JOHANN. SCHIFERDECKERI, PROFESSORIS THEO-*  
*LOGIÆ PUBLICI, PASTORIS ac SUPERINTENDEN-*  
*TIS, lectionibus continuavit; in Logicis, Metaphysicis, Ethicis,*  
*Politicis, Scholas Celeberrimi Dn. JOACHIMI LEL-*  
*STENII, RECTORIS, & PROFESSORIS PUBLICI, fre-*  
*quentavit, cui pro Paternis in se collatis Beneficiis divinam*  
*benedictionem animatus apprecatur ! Oratoriam apud*  
*EXCELLENTISSIM, PROFESSOREM, Dn. DOCTO-*  
*REM JOHANNEM RIEMERUM, tum Oratoriæ PRO-*  
*FESSOREM, hodie PASTOREM, & SUPERINTEN-*  
*DENTEM*

DENT HILDESIENSEM, *Moralia*, per MAXIME RE-  
VEREND. DN. LIC. HENR. JONATHAN WEREN-  
BERGERUM, hodie PASTOREM, & SUPERINTEN-  
DENTEM LÜNEBURGENSEM, *Linguas* denique per  
*manuductionem* DN. ANDRÆ ROSEN, hodie PASTO-  
RIS & SUPERINTENDENTIS SANGERHUSANI, *Studio-*  
*se* coluit, & excoluit. Ex *Consilio Dnn. Professorum* in hoc  
*Gymnasio* quoque *varia Specimina* perorando, *Disputando*  
cum *aliis*, deposuit, & peculiaris in *Festo Pentecostes* An.  
M DCLXXXIII. *Oratio*, de *Spiritu S. DEI digito*, in *Tem-*  
*plo Augusteo*, fuit ei *demandata*, & ab ipso cum *Applausu* re-  
citata. *Gymnasticis Exercitiis* rite per *biennium* ex *antla-*  
*tis Wittebergam Studiorum Academicorum Matrem* elegit,  
& Anno M DC LXXXIV. d. 14. *Julii Matricula Studioso-*  
*rum Nomen* dedit, ac à MAGNIF. t. t. RECTORE, B. DN.  
CHRISTIANO DONATI, LOGIC. & METAPHYSICÆ  
PROFESSORE MERITISSIMO, *data fide, jus Civitatis* obti-  
nuit. *Officina nova, uova Studiorum obtulit acriuata,*  
*laudeque digna Certamina, quæ novo quodam ardore, ma-*  
*scule* suscepit. *Philosophie Culturam* sibi primum *com-*  
*mendatam* esse debere, *prudenti Consilio* judicavit, ut eò  
facilius, per *ejus manuductionem*, ad magis ardua *Theologorum*  
*Mysteria*, debito modo præpararetur. Neq; *Consilium* hoc  
suo *fructu* caruit, dum ad *excolendas Philosophie Discipli-*  
*nas*, eò *majori conatu mascule* contendit. Omnes  
Dnn. *Philosophorum EXCELLENTISSIMORUM*, &  
Dnn. *ADFUNCTORUM PRÆCELLENTISSIMORUM*,  
*Scholas, ea, qua decet, Industria* visitavit, & suam *Philoso-*  
*phicam cognitionem* ex *his locupletavit*. Imprimis SUMME



REVERENDI DN. D. NEUMANNI t. t. *Amplissima* Facul-  
tatis Adjuncti, & Professoris Poeseos, ut & B. DN. Licent.  
REMLINGII, Adjuncti, Scholis adhæsit. In *Physicis EXCEL-*  
*LENTISS. & EXPERIENTISS.* DN. D. VATERI, *Physicâ Ex-*  
*perimentalem, atq; Curiosam,* adamavit, eamq; satis admirari  
non potuit, dum frequentius ejusdem *utilissimis Colle-*  
*giis* interesse voluit. Veneratus pariter est *Scholas Histo-*  
*ricas, & alias, Celebratissimi nostri Polyhistoris, Dn. Schurz-*  
*fleichii, Historiarum & Græcarum literarum Professoris*  
*incomparabilis, & tantos in iis progressus fecit, ut etiam de*  
*Tburingia publicam, sub ejus Præsidio, Disputationem ma-*  
*scule defenderit. His, & aliis in Academicis congressibus*  
*celebritatem Nominis acquisivit, meritoq; suo Anno M DC*  
*LXXXVI. Magisteriales Honores Brabeuta, Spectabili Dn.*  
*Decano, M. GEORGIO DAVID ZEGRA, tum Facultatis Adjun-*  
*cto, nunc in Vicinia Pastore Schmeidebergensi, & Ephoria*  
*Kembergensi Adj., non sine laude consecutus est. Novus Ho-*  
*nor, novus Labor, cum Magisterium non tam meta, quam*  
*medium Laborum Majorum esse debeat, & bonis, ac ad*  
*Majora contendentibus, ingeniis communiter esse soleat.*  
*Sic & Noster EILMARIUS, Magisterio coronatus, audere,*  
*Majora suscepit. Mox sub Præsidio Professoris suam ad*  
*Cathedram Superiorem aptitudinem demonstravit, & ma-*  
*scule suam quam vocant, habilitationem, deposuit, ut*  
*eò faciliorem accessum ad Cathedram supremam obti-*  
*neret. Elegit autem Materiam Studio principali Theolo-*  
*gie consonam, & de Versione Vulgata, quæ vocatur, Eru-*  
*ditam Disputationem conscripsit, eamque magna cum lau-*  
*de defendit. Hoc præsidio munitus, varia Dnn. Commi-*  
*lito-*

litionibus suis Collegia, Privati Lectoris instar, aperuit,  
&, alios informando, publicum Academiae commodum pro-  
movere studuit. Inter haec autem Philosophica nunquam  
Studio Theologiae Sacrae defuit, sed ad ejus solidam perceptio-  
nem, tanquam ad primum scopum, unice contendit.  
Divina siquidem humanis, si non omnibus, tamen plurimis  
modis praeferenda veniunt. Hoc vitae suae primum,  
& Palmarium studium, omne tempus Academica Con-  
versationis maxime coluit, neque tantum privatis lucubrati-  
onibus excolere voluit, quae ἀσκητικὴν esse solet, sed et-  
iam Publicos Doctores Theologos adire, Ipsorum Collegia se-  
dulo frequentare, & ab Eorum ore debita, tum attentione, tum  
contentione, p̄dere studuit. Ad pedes Gamalielis sedere, Paulo  
praecipuum in juventute studium erat, quē Noster etiā in eodem  
imitari studebat. Neque tantum unum, vel alterum; sed in  
universum omnes, & singulos, quotquot illis temporibus.  
Sanctam Theologiam profitebantur, vigilanter audivit.  
Audivit in Domino beate defunctos, B. DN. D. ABRAHAM  
CALOVIIUM, B. DN. D. JOHANNEM ANDREAM QVEN-  
STEDTIUM, B. DN. D. WALTHERIUM: Magnificum quoque  
DN. D. MEYERUM, in Collegiis variis, magno cum fru-  
ctu sectatus est. SUMME REVERENDI DN. GENERALIS  
SUPERINTENDENTIS DN. D. LÖSCHERI, Collegia, modo  
Theoretica, modo Polemica, suum in usum convertit, & multis  
etiam Collegiis meis, tam Polemicis, & Disputatoriis, quam  
Didacticis, & Lectoriis, insignem ad aedificationem, ut Ipse  
fateretur, interfuit: & eos in Studio Theologico progressus  
fecit, ut non tantum sub Praesidio MAGNIFICI DN.  
D. LÖSCHERI, Disputationem publicam in Cap. IX. Rom.  
non citra singularem applausum, publice proposuerit, sed

B 3

etiam



etiam in *Homileticis*; non vulgarū *perfectionem* acquisivit,  
ut coram *Populo Sermones Sacros* frequenter habuerit, &  
inde *nomen* boni *Concionatoris*, apud omnes obtinuerit.  
Ex his *Speciminibus fama* nostri, non tantum apud *Nos*,  
per *omnium ora* transiit, sed in *Patriam* quoque *Dulcissimam*  
pertransiit. *Virtus* etenim in *tenebris* neque  
*manet*, neque *manere potest*: Inde factum, ut à *Dnn.*  
*Patronis Ecclesie Patrie Anno M DC LXXXIX.* ad *Mini-*  
*sterium Verbi* publicum per *Vocationem* legitimam po-  
stularetur, quam *vocationem* exoptatam in *Nomine Domini*  
suscepit. *Latet* igitur *avibus Ministerii Candidatus* in  
*Patriam* abiit, *Verboque DEI* suos *Cives* pascere cœpit.  
Talibus autem *partibus*, & *Ministerialibus* actibus, *Ecclesiam*,  
*Patriam* animavit, & exhilaravit, ut *tota Vicinia* per  
*famam* ejus, ex *siugulari DEI Providentia*, compleretur.  
Non igitur *ultra Triennium*, propter *dona* singularia, *Pa-*  
*trie* relictus, sed eodem *vix finito* ad *alias Ecclesias*  
transmigrare, propter *novam vocationem*, necessum ha-  
buit. Nam *Ecclesia Longosalsana Patroni* nostrum  
*Oratorem* ad *Sermones* sacros desiderarunt, quam *Spar-*  
*tam* *Ipsemet* taliter ad *Auditorum benevolentiam* pro *viribus*  
ornavit, ut *diutius eam* exornasset, nisi *DEO, Supremo*  
*Ecclesiarum Episcopo*, visum id fuisset aliter. Siquidem  
**SERENISSIMUS DUX SAXONIÆ DN. J. ADOL-**  
**PHUS, PRINCEPS LEUCOPESRENS.** *Gloriosiss. Beatissimē*  
*q̄ve* recordationis, ex *siugulari gratia* Anno *M DC LXXXII.*  
Eum ad *Pastoratum Heldrungensem* designavit, munusq; *Su-*  
*perintendentis super Vicinas Ecclesias* Ei demandavit: *Cui*  
*muneri Summa Fidelitate* præfuit, *omnes Episcopalis mu-*  
*neris partes* ita *feliciter* expedit, ut *gratiam* **SER-**  
**SERE-**

SERENISSIMI PRINCIPIS, non modo *constanter*  
ex voto conservaret, sed *Eā* multis *incrementis* augetet. Neq;  
desiit ex Beatissima *morte* TANTI PRINCIPIS Gratia, sed  
AD SERENISSIMUM etiam HÆREDEM, atq;  
SUCCESSOREM, ac DOMINUM, DN. JOH.  
GEORGIUM, &c. &c. summæ *expectationis* PRINCI-  
PEM, summa cum *admiratione* transiit, quod *gratis-  
simo* Pectore semper agnoscit, & *humillime* gratus recolat. Et  
certe hujus SERENISSIMI PRINCIPIS Laudatissimam  
Gratiã, suis *sanctissimis* Ministeriis, per omnes *Vitæ* totius *Di-  
es* Animo *lubentissimo* præsentem venerari constituisset, nisi  
*Divina Providentia*, rursus de *Eo* cogitasset, & ad dilectissimã  
*Patriam*, cui se totum, & omnia sua debere, pius indefinenter  
animo *gratis* recordatur, Ipsum revocasset, NOBILISSI-  
MUS enim, & AMPLISSIMO Senatus LIBERÆ, & IM-  
PERIAL. CIVITATIS MÜLHUS. Ipsum in *Pasto-  
rem* ad B. MARIE VIRGINIS *Præmarium*, & AS-  
SESSOR. APPELLATIONIS *Instantiæ rerum Ecclē-  
siasticarum*, communibus *Suffragiis* elegit, & ad has *Sacræ*  
*expeditiones*, *Scriptis literis* expetiit. *Religioni* proinde sibi  
duxit, *Patriæ desiderii*, & *Precibus*, suis *religiosis* *Servitiis*,  
in quoquam deesse. Propediem igitur ad *Ecclesiam*  
*Patriam* reverti constituit, & ut cum *majori*, vel *Aucto-  
ritate*, vel *Dexteritate*, vel *Utilitate*, reverti posset, ex  
*Consilio Patronorum*, & *aliorum Fautorum*, *Supremum*  
*in Theologia Gradum*, quem *Doctōratum* vocant, recipere  
decrevit. Ad hunc obtinendum *more consueto* *Licen-  
tiam*

1499

*eiam* prius expetere necessum habuit. Ferebatur autem  
*motivis variis ad Almam nostram Wittebergam, Matrem,*  
*Lutherana Reformationis, ac Officinam constantem doctri-*  
*nae purioris, & ex DEI Gratia, Caestis veritatis Scholam.*  
Qua de causa *litteris scriptis, vivisq; Verbis* repetitis, in Con-  
sesso Collegii nostri desiderium suum humiliter exposuit,  
& Theologos omnes, in laudatissimo hoc instituto, faciliores  
habuit, dū omniū Suffragiis janua Doctoralis Honoris Eidem  
aperta, & ad Specimina publica, quæ Licentiatorum sunt,  
aditus ipsi concessus. Horum Speciminum initium cum  
Domino facturus est, Oratione Solenni in Congressu totius  
Academiae, ad quam **MAGNIFICUM DN. RECTO-**  
**REM, ILLUSTRISSIMOS BARONES, PA-**  
**TRES, ac CIVES UNIVERSITATIS, ac HOSPITES**  
**OMNIS GENERIS,** debita Reverentia, praesentibus  
pagellis invito, Deum clementissimum, ardentissimis suspiriis  
invocans, ut Verbum Veritatis in Terris nostris constan-  
tissime servare, suam Ecclesiam Orthodoxam apud Nos  
conservare, bonos Christi milites inter Nos excitare,  
Virtute Spiritus omnes armare, & Victoriā post  
Victoriā Coelitus donare clementissime velit.

*Wittebergæ, P. P.*

Domin. XV. post Trin. M DC IIC.



ULB Halle  
001 507 125


3




TA 506

WMA







IN NOMINE JESU  
ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΥ!  
DECANUS  
THEOLOGICÆ FACULTATIS,  
IN ACADEMIA WITTEBERGENSI,  
**D. JOHANN. Deutschmann**/  
PROFESSOR PRIMARIUS, THEOLOGUS  
SENIOR, ACAD. TEMPLI PRÆPOSITUS, ET  
ALUMN. EPHORUS,  
HYPOSTATICUM  
DE TATS  
**TEMPLUM,**  
*EX COLOSS. II. 9.*  
IN HOMINE CHRISTO,  
PIIS MEDITATIONIBUS  
EXHIBENS,  
OMNES ET SINGULOS  
ACADEMIÆ PATRES, HOSPITES,  
ATQVE CIVES,  
AD ORATIONEM SOLENNEM,  
DIE XXX. SEPTEMBRIS  
HORA IX. MATUTINA,  
IN AUDITORIO MAJORI,  
SOLEMNITER INVITAT!

4  
769836

